DE

OLEI CROTONIS EXTERNE ADHIBITI EFFICACIA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE SIBI CONCILIANDIS
DIE XVIII. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXXXIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

HENRICUS BAMBERGER
SILESIUS.

OPPONENTIBUS:
S. OPPLER, MED. ET CHIR. DD.
L. MEYER, MED. ET CHIR. CAND.
A. FAUDEL, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

HUMANISSIMO, SAPIENTISSIMO,

FAUTORI OPTIMO

J. B. HAYN

UT PII GRATIQUE ANIMI SIGNUM

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

De Oleo Crotonis, quamnam in organismum humanum vim exserat, cum jam permulti viri docti disputarint, tanta tamen est sententiarum opinionumque diversitas, ut res illa in contrarias partes disserta longe alia ab aliis censeatur. Sunt enim, qui tantam oleo crotonis inesse efficaciam contendant, ut vel ii, qui aliis oleum istud digitis infricuerint, diarrhoea afficiantur; alii contrarium fere probant, olei scilicet vel plures guttas hominibus infrictas nullam provocasse diarrhoeam, dicentes. In hoc tamen uno omnes fere consentiunt, remedium illud, quamvis periculossimum, tamen morbis quibusdam sanandis gravissimi esse momenti. Qua re commotus, operae pretium fore judicavi, si in veram hujus remedii, externe adhibiti, efficaciam — de hac

enim maxime in dubio versamur — accuratius inquiram, et experimentis, tam in me ipso, quam in aegris institutis certius aliquid proferam. Huic autem suscepto, quamquam pro virili parte incubui, defuit tamen, ut fit in tirone, et exercitatio et usus. Itaque quam exigua sint, quae in hoc libello a me traduntur, quum ipse omnium maxime sentirem, illud tantum me erexit, quod ad rem obscuram illustrandam, quantulumcunque contulisse, haud contemnendum esse negotium censeo.

Croton Tiglium s. Tilium, etiam Cadel-Avanacu, Pavana, dictus frutex in orientis Indiae regionibus, Ceylone, China, Moluccis, Malabare invenitur, et inter Monoeciam Monadelphiam secundum Linné et Euphorbiaceas secundum Jussieu refertur. Ex cujus fruticis seminibus (granis Moluccis Rumph., granis Tiglii, Tilii, pignon's d'Inde), quae oblongo-ovata, obtusa, quadrangularia, tenui ac fragili cortice, albidaque circumdata epidermide, nucis avellanae fere magnitudinem assequuntur, oleum Crotonis vario modo paratur. Indi e granis tostis atque excorticatis, adhibita caloris ope, oleum expressere.

Dr. Nimmo centum partes seminum tritorum aethere sulphurico digessit, et remanentiam sat magna aetheris copia abluit.

Dr. Schneider calide; Feld, pharmacopola Creuznachensis frigide exprimendo oleum paravit.

Chevalier denique has varias commemorat methodos olei parandi:

1) Seminibus exprimendis. 2) Alcohole. 3) Aethere adhibito, quippe quo maxima olei copia editur.

Secundum chemicam analysin, quam Dr. Nimmo instituit, centum partes olei Crotonis continent

acris principii	45,0
pinguis olei	55,0

oleo olivarum fere similis. Principium illud acre sedem habere videtur in amara quadam et resinosa materia, quam Elaterinio simillimam Tiglin nominat, et alcohole et aethere aeque ac pinguibus et volatilibus oleis resolvi posse, contendit. Brandes contra et Caventou principium acre acido quodam contineri, tradunt. Quae, quum tantis viris contradicere non ausim, aliis chemicae artis peritioribus relinquam.

Oleum ipsum est pingue, crassius, flavescens e fusco, tantaeque efficacitatis, ut oculi et manus eorum, qui illi parando operam navaverant, intumescant, et particula, in linguam immissa, sensum ca-

loris plures per horas indurantem et salivationem eliciat.

Si parvis oleum dosibus porrigitur (ut internam quoque hujus drastici remedii vim breviter nuncupem), caloris sensum in pharynge efficit, qui sensus ad ventriculum usque propagatur, sequente nonnunquam nausea, vomitu, semper vero alvo copiosissime fluente, nec sine gravioribus colicis doloribus. In universum oleum porrigitur hominibus, biliosa constitutione praeditis, praeterea hypochondriacis, hystericis, apoplecticis, atque iis, quorum intestina atonia quadam vel ipso torpore laborant. Contra colicam metallicam hoc remedium a Dr. Kinglake optimo successu adhibebatur, et in India morbis hydropicis sanandis multum utilitatis attulisse dicitur. Idem Tontini in obstructionibus, opio provocatis, maximopere commendat. — In universum oleum Crotonis alvum, sudoris et urinae excretionem movet.

Secundum W. Iliff jam Serapio minor, Arabs, 10 p. n. s. hoc medicamentum adhibuit. I. Frost, Bobart, Bauhinum, Ray, Linnaeum primos olei Crotonis mentionem fecisse tradit; Pittschaft de oleo Crotonis copiosius disseruit; in India per longum tempus adhibitum esse,

testatur Burrmann, qui in Europa ejus notionem magis divulgavit; Dr. Conwell medicus Anglicae societatis, quae Madrasiensibus praeest, hoc remedium, jam oblivioni datum, in Anglia denuo in usum provocavit, unde in Italiam et Germaniam usus ejus propagabatur; sicuti M. Friedlaender Parisiensis accuratius de hoc disseruit in tractatu, quem in academia regia medica recitabat; praeterea jam in libro de materia medica a Ferrein conscripto ejus rei mentio facta est. Nuperrime vir doctissimus Landsberg, viri Ill. Andral, Elliotson, Hutchinson de externa quoque hujus remedii efficacia plura tradiderunt.

Inter eos qui de oleo Crotonis egerunt scriptores, hisce maxime usus sum:

Dulk: die preufs. Pharmac. Leipz. 1829.

Dictionnaire universel de Matiére médicale, ubi plura etiam de oleo Crotonis scripta nominata invenies.

Dr. G. A. Richter: Ausführliche Arzeneimittellehre etc.

Froriep's Notizen. T. XII.

Harlefs: Neue Jahrbücher. T. II., Heft I., p. 182.

Hermanni: cynosura mat. med. 1710, T. I., p. 339.

Odier: Sammlung auserlesener Abhandlungen etc. T. V., p. 236.

Hufeland's Journal T. XI., Vol. IV., T. XII., Vol. VI.

Magendie: Vorschriften zur Bereitung und Anwendung einiger neuen Arzeneimittel, aus dem Franz. von Dr. G. Kunze. Leipz. 1831.

Leop. Cruse: De Croton. Tiglii oleo, diss. Berol. 1822.

M. Landsberg: Pharmacograph. Euphorciac. diss. inaug. Berol. 1831.

Archives générales de Médicine, Fevrier 1832. transl. in Repertor. der medizin.-chirurg. Journalistik des Auslandes von Fr. J. Behrend, Juli 1832.

Gazette médicale. Janv. et Févr. 1833, Repert. etc. v. F. J. Behrend, April 1833. — Joret: Arch. général de Méd. transl. in Repert. Nov. 1833.

His praemissis ad ipsam, quam mihi inquirendam proposui, externam olei Crotonis efficaciam, transeo. Priusquam vero quomodo hoc remedium agat, exponam, observationes et aliorum et quas ipse institui, afferre visum est, quo facilius de efficacia judicari possit.

Obs. I.

Vir doctissimus Landsberg, qui in dissertatione sua de Euphorbiaceis multa eaque optima de oleo Crotonis conscripsit, haec affert:

1) Ipse mihi quattuor olei Crotonis guttas circa umbilicum inunxi. Post dimidiam fere horam pruritum, deinde uredinem maximo cum dolore usque ad vesperem sensi. Altero die erythema cum pustulis apparuit, magnus, potissimum tangendo, dolor rediit. Tertio die ejus diei, quum inungebam, jam in crustas iis e Tartaro stibiato inuncto similes abiere pustulae. Et incommoda fruebar, febre etiam vehementissimisque affectus doloribus, per aliquot adhuc dies valetudine. Maxime autem notatu dignum videbatur, herpeticam simul impetiginem in scroto visam esse, tanquam vel eo tartari stibiati morem redolente oleo. Ceterum plane nulla in alvum excernendam actio.

2) Cuidam ego aegroto quinque guttas cum eadem olei Menthae copia bis in eadem regione inunxi, primum sine ullo effectu, alterum cum levi, quae altero demum die oriebatur, diarrhoea, utrumque cum erythemate ac pustulis.

Et pharmacop. nostrae leges, ad parandum linimentum ammoniatum datas secutus, crotonatum

feci. Inde sex circiter grana in superiore umbilici parte, ubi illae prioris inunctionis crustae jam deciderant, medio sinistrae manus digito perfricui. Nec diu post levem, deinde sensim sensimque ita auctam percepi uredinem, ut vespere neque corpore procumbente sedere, neque vestimentum ferre possem. Dolor altero die mitior redditus est; denuo et vehementissimus simul cum herpetica impetigine atque excoriatione in scroto et glande ortus, quum neque sedere neque ire possem sine maximis doloribus ad suspensorium supponendum me coëgit. Simul exanthema in conspectum veniebat in loco applicationis pustulosum, rubro halone circumdatum, quod non aptius, quam cum varicellis nisi quod planiores erant pustulae singularisque odoris, comparare possem. Altera autem nocte adeo vehementer ingravescebant dolores, ut non dormirem, immo ne lodicem quidem ferrem. Mane abdominis integumenta vere inflammata atque indurata fuere. Coëgere denique maximi illi dolores vespere, ut fomenta frigida applicarem. Neque hanc quoque noctem tranquillam peregi. Altero die dolores neque in abdominis integumentis, neque in scroto evanuere. Denique totius fere glandis atque scroti facta desquamatione cessere.

Ceterum inde quoque nulla in alvum actio.

Tribus circiter granis deltoideam brachii sinistri regionem medio dextrae manus digito inunxi. Vespere pustulas albas, rubro halone circumdatas, prurientes, sine magnis doloribus, latius autem, quam applicata fuerat perfricatio, patentes animadverti. Altero die uredo et rubedo increscebant. Eo denique, qui sequebatur, die, dolores aucti et pungentes. Exanthema effloruit. Ceterum nulla actio.

Obs. II.

Clarissimus Andral haec de oleo crotonis tradit: oleum quovis in loco inunctum cuti levem efficit dolorem, nonnullis horis post parvae papulae rubri coloris erumpunt, quae in pustulas mutantur, similes variolis, aut pustulis, unguento Tartari stibiati provocatis. Quatuor vel quinque guttae in locum, manus spatium aequantem, infrictae confluens exanthema efficiunt, cujus pustulae nonnullae rubro circumdatae sunt halone, qui post quatuor et viginti horas evanescit. Sin parvae tantum sunt pustulae et minori copia, tum exsiccant, neque in crustas abeunt. — Haec in pluribus, quam triginta aegrotis animadversa sunt.

Sequantur hi morborum casus, quos vir illustrissimus communicavit:

1) Vir quinquaginta annos natus, ante aliquod tempus erysipelate faciei laborans, in nosocomium, paralysi sinistri faciei lateris affectus, receptus est. Omnis fere defuit et visus et auditus et gustus et olfactus, facultate vero movendi in partibus afflictis non sublata. Cui malo curando, quum, nequaquam venaesectione et remediis laxantibus adhibitis, octo guttae olei crotonis infricatae essent, confluens apparuit exanthema, et aegrotus, duobus praeterlapsis diebus sanus dimissus est.

2) Pictor, quadraginta annos natus, qui, postquam septies mercurio propter syphilidem usus est, nimio in Venere excessu, paralysi musculorum oris et dextrae genae affectus est. Olei Crotonis guttae octo infricatae hominem post paucos dies malo liberarunt.

3) Vir quinquaginta natus annos, qui jam viginti per annos saepius lumbagine laboraverat, infricatis olei crotonis quindecim in locum affectum guttis trium tantum dierum spatio sanatus est.

Simili modo vir quadraginta annorum eodem laborans malo, quater olei crotonis guttis octo inunctis bonam valetudinem recuperavit.

4) Duae chronicae ventriculi inflammationes, eodem remedio adhibito, exstinctae: ciborum appetitus restitutus, cardialgici dolores, vomitus evanuerunt.

In alio quodam loco Andral hunc morbi casum narrat:

5) Mulier, triginta nata annos, per mensem jam inflammatione tunicae bronchiorum mucosae laborans, inde per quatuordecim dies vocem edebat raucam, quae denique in Aphoniam transiit. Omnibus signis quum apparuerit, solam laryngem esse affectam, in anteriorem colli partem olei Crotonis guttae octo sunt infricatae. Quatuor et viginti horis praeterlapsis post hanc primam inunctionem, quum pustulae confluentes apparuissent, vox rediit. Inflammatione cutis cataplasmatibus emollientibus amota, post nonnullos dies vox priorem assecuta est sonum.

Obs. III.

Vir celeberrimus Elliotson, qui clinico instituto in nosocomio Londinensi St. Thomae praeest, haec de ipso Oleo Crotonis affert:

Bis per diem matutino et vespertino tempore infricari instituo, doneĉ exanthema appareat. Si celerius erumpatur, necesse est, saepius per diem

infricari debet, id quod rarissime tantum evenit, quum jam secunda inunctione instituta, eruptio contingere soleat. Illud quidem exanthema e vesiculis constat, quae non limpidam sed albidam materiam continent. Antequam vesiculae erumpunt, aegrotus dolorificum sentit pruritum, denique vesiculae, postquam per duos ad tres dies effloruerant, evanescunt. Aeque ac in aliis exanthematibus, eruptio non solum in eo, quo oleum Crotonis adhibitum erat, loco, apparet, sed etiam aliis in locis, nec raro, ut unguento Tartari stibiati, sic etiam oleo Crotonis irritatio partium genitalium efficitur. Quotiescunque olei Crotonis inunctionem institui, nunquam diarrhoeam vidi exortam.

Aegroto, qui vehementissime rheumatismo syphilitico laborabat, Calomel praebui, donec os affectum esset. Dolore vero, qui ad crura extendebatur, aegrotumque maxime vexabat, perdurante, extracti Strammonii grana sex bis per diem adhibui, et in internam cruris partem oleum Crotonis infricari institui. Quo facto, exanthemate exorto cum in loco inuncto tum etiam iu scroto, aegrotus, cessantibus doloribus, sanatus est.

Obs. IV. 1)

R. Hutchinson haec de oleo Crotonis tradit:

Olei Crotonis guttis sex per decimam vel quintam horae partem cuti infricatis, celerrime pro singuli cujusque sensibilitate major minorve rubedo oritur, quae sensim sensimque crescit, donec in loco affecto tumor modicus apparet. Quo facto, sex vel duodecim horis praeterlapsis, magna vesicularum copia erumpit, quarum aliae sparsim diffusae, aliae confluentes, forma et magnitudine inter se discrepant. Quae vesiculae primum serosam materiam, deinde pus continentes, postremo in crustas abeunt. Rubedo magis lateritium praebet colorem. Haec signa, quae ad decursum semper sibi constant, ad intensitatem variant pro varia partium sensibilitate; copiosissime autem apparent in facie, capite, larynge, pectore, contra in musculis extremitatum effectus non tam gravis in lucem prodit. Si oleum in faciem et cranii integumenta infricatur, saepius erysipelas oritur, nunquam destructio partium aut suppuratio. Effectus nunquam desiderantur, nisi in abdominis integumentis.

In chronica laryngitide oleum Crotonis, con-

---

1) The Lancet, Mai 1833, transl. in Repertor. etc. Septbr. 1833.

tinuo infricatum, optimum eventum proferebat, aeque ac in paralysi sinistri faciei lateris et in brachii paralysi.

Obs. V.

His igitur, quae ab aliis de oleo Crotonis externe adhibiti efficacia tradita sunt, relatis, addere liceat, quidquid ipse in me et in aegrotis quibusdam expertus sum.

Hora circiter octava matutini temporis olei Crotonis guttas tres in regione sterni inter tertiam et quartam costam loco, qui semifloreni spatium tenebat, accuratissime infricui. Paullo post pungentem sensi dolorem, et leve aderat erythema. Duabus horis praeterlapsis locus infricatus, paullulum turgens, flavum praebuit colorem. Doloribus, iisque non gravioribus, perdurantibus, hora octava vespertini temporis in loco ipso confluens apparebat exanthema flavi coloris, cujus singulae pustulae vix poterant dijudicari, circa hunc locum vero papulae parvae rubri coloris latius diffusae erant. Noctem propter dolorem inquietius transegi. Sequente die singulae papulae, materia puriformi repletae, albidum habebant colorem, circumdatae rubro halone; locus, quo confluens aderat exanthema, magis etiam intumescebat. Seqnente die hinc illinc singulae, quae sparsim adstabant, pustulae exsicca-

bant, aliis magis confluentibus. Denique totum exanthema sensim sensimque in crustam abiit, nec ullo alio commodo nec diarrhoea sum affectus.

Quae in nosocomio caritatis Berolinensi (occasione mihi data a professore Cel. Wolff, praeceptore meo optimo dilectissimoque) expertus sum, haec eo paucioribus afferre me posse, censeo, quum partim jam saepissime dicta repetenda essent, partim, eruptione pustularum, quae fere in omnibus animadversa est aegrotis, excepta, nihil fere de salubri hujus remedii eventu possim referre, quia ob alias causas urgentes sepositum est.

In universum variam vim pro varia hominum sensibilitate remedium exserebat, in aliis aegrotis, iisque imprimis muliebribus pustulae sat magna in copia erumpebant, atque eundem tenebant decursum, quem jam multis in locis descripsi; in aliis vero parciores apparebant, nulli vero aegrotorum plane deerant. Qua re duos tantum morborum casus pluribus exponam, qui mihi magis notatu digni videbantur.

C. K. triginti annos natus, ceterum satis bona corporis constitutione praeditus, hypochondriacis laborabat doloribus et pertinaci alvi obstructione. Cui obstructioni tollendae primum olei Crotonis guttae quatuor circa umbilicum infricatae sunt, nec

ulla in alvum actio observata est, quin immo, ne pustulae quidem eruperunt. Iterata demum inunctione, quum paucae pustulae ortae essent, semel quidem alvum deposuit, sed quum medicamenta, quibus hactenus uti consueverat, drastica seposita essent, ut melius possit olei Crotonis in alvum movendam efficacia dijudicari, alvi obstructio denuo exorta est. Ceterum paucis circa umbilicum pustulis exceptis, nihil aliud observatum est.

J. H. sartor, quattuor et viginti annos natus, inde tum quattuordecim dies rheumatismo articulorum manus sinistrae laborabat, ita ut manum movere plane non posset. Quattuor olei Crotonis guttae loco affecto inunctae sunt; quo facto erythema levi junctum dolore exortum est. Altero die paucae tantum pustulae apparebant. Ejusdem diei vespere iterata inunctione, dolor auctus est, et pustulae majori numero apparebant. Post quartam denique inunctionem manus motus restitutus, et aegrotus, a malo liberatus, sanatus dimissus est.

Quibus omnibus collectis haec in universum de olei Crotonis externe adhibiti efficacia dici posse, mihi videntur:

1) Efficit inflammationem in loco inuncto, quae

altius penetrat, nec certo determinatur fine, sed sensim sensimque desinit.

2) Procreat pustulas, quae si majori in copia erumpunt, confluunt.

3) Circa locum, quo confluens adest exanthema, latius, quam oleum infricatum est, patentes apparent papulae, quae in pustulas mutantur, circumdatas rubro halone, simillimas pustulis unguento Tartari stibiati effectis, quaeque si sparsae adsunt, celerius exsiccant, si densiores, sicuti confluens exanthema, in crustas abeunt.

4) Facillime pustulae erumpunt in capite, facie, larynge, thorace, iisque extremitatum locis, in quibus cutis ossibus proxima sita est; difficilius vero et incertius in abdominis integumentis, unde plerumque etiam partes genitales afficiuntur.

5) Plerumque oritur exanthema duodecim horis post primam inunctionem, nonnunquam etiam serius, rarissime vero post secundam inunctionem olei effectus deest. — Tribus ad sex dies praeterlapsis totum exanthema evanescit.

6) Dolor plerumque post horam incipit, primum levis tantum pruritus et uredo adest, quae vero paullatim maximopere augetur.

Ex his igitur oleum Crotonis, externe si adhibetur, summum esse et derivans et excitans remedium apparet. Simillime agit unguento Tartari stibiati, nam profundius penetrat, atque imprimis vim suam in vasa lymphatica et resorbentia exercet, ita ut actio horum vasorum maxime augeatur, et materiae, quae ibi stagnent, amoveantur.

Qua re hoc gravissimum remedium hisce in morbis locum suum habere videtur:

1) In inflammationibus chronicis et in iis, quae maxime ad exsudationes proclives sunt.

2) In morbis rheumaticis, qui non justo modo dissolvi possunt, ut in iis, qui jam diutius perduraverant, vel si jam exsudatio orta est, aut exoriri minatur. Eodem modo in morbis arthriticis hoc remedium adhibendum esse videtur.

3) In exsudationibus, iisque imprimis, quae inflammationes sequuntur, ut in hydrothorace, fortasse etiam in hydrocephalo infantum, in quo tamen prius videndum erit, quomodo in infantes hoc remedium agat, anne fortasse alia incommoda paret, ut diarrhoeam.

4) In morbis phthisicis e. g. phthisi laryngea, in qua hoc summum derivans remedium antagonistico modo suppurationem internam coercet.

5) In morbis neuralgicis, ut in asthmate spasmodico, tussi convulsiva, nec non in morbis paralyticis certe optimum praebebit eventum, nam non solum si actio nervorum diminuta est, aut plane desinit, stimulus, qui in nervos periphericos exercetur, in majores nervorum ramos propagatur, sed etiam actione nervorum centralium adaucta, contrastimulo in nervos periphericos irruente haec actio adaucta magis derivatur et aequatur.

Hi fere sunt morborum casus, quibus oleum Crotonis externe optimo cum eventu adhiberi posse, censeo. Quum tamen alia remedia derivantia adsint, quorum in primis Tartarus stibiatus nominandus, rogaverit fortasse aliquis, quapropter nova insuper medicamenta addenda sint, quorum affinium sat magna jam copia gaudemus. Itaque nunc demum necesse erit, quoad ejus fieri poterit, adcuratius inquirere, quantum oleum Crotonis Tartaro stibiato praestet, cui ad efficaciam simillimum esse, jam supra diximus. Ex iis, quae antecedentibus commemorata sunt, experimentis constat, oleum Crotonis in universum celerius agere, quam Tartarum stibiatum; plurimi enim, qui oleo illo utebantur, jam post horam leve apparuisse erythema, et altero vel ipso eodem die apud quosdam pustu-

las esse exortas, affirmant. Neque levioris est commodi, quod, quum satis profunde vim suam extendat, tamen non tantum efficit dolorem, nec tam maligna relinquit ulcera, quam saepissime Tartarus stibiatus. Denique semper aegrotis in promptu est, quum simpliciter, quemadmodum in pharmacopoliis suppeditat, possit adhiberi, neque artificio opus est, quo parandum est unguentum Tartari stibiati. Ceterum, quibus aliis praestet commodis, ac in quibus speciatim morbis oleum Crotonis, in quibus Tartarus stibiatus melius adhibeatur, usui longiori et peritioribus harum rerum indagatoribus relinquenda sunt.

Priusquam vero ad aliam, de qua jam sat multum disputatum est, hujus remedii efficaciam transeam, non possum, quin addam, semper, antequam oleum Crotonis infricetur, inquirendum esse, quomodo cutis structura constituta sit, quae si crassior est minusque sensibilis, ante inunctionem ipsam laneo panno fricanda aut levi quodam medicamento eorum, quae rubefacientia dicuntur, pertractanda est. Ceterum, ut jam monui, oleum purum potest adhiberi, nullo alio junctum additamento. Quanta vero dosis applicanda sit, vix in universum potest definiri, quum variet pro varia hominum sensibili-

tate; plerumque quattuor ad sex guttas bis per diem infricatae ad pustulas provocandas sufficiunt.

Altera olei Crotonis, externe adhibiti, efficacia in eo esse dicitur, quod alvi excretionem movet.

Indi jam, Hermanno auctore, hoc sibi remedium paravere:

℞. Olei expr. gr. Tigl. q. v.

Huic immitte aurantium vel citreum pomum et relinque per mensem integrum, post exime et adsperge pulvere santali citrini. Admove naribus ad alvum ducendam vel frica hoc pomo fortiter manus et admove naribus, quotiescunque naribus admovetur, ejusque odor fortiter attrahitur, toties movebitur alvus.

Nec omnino desunt medici, qui oleum Crotonis infricatum ad alvum movendam summis efferentes laudibus, vermes intestinales eo se expulisse, affirmant, ut Dr. Prieger, qui hoc remedio aegrotum taenia liberatum esse tradit. Quibus vero laudibus non nimium esse fidendum, censeo. Ex iis enim, quae antecedentibus attuli, experimentis viri doctissimi Landsberg, ex iis, quibus illustris Elliotson affirmat, se nunquam oleo Crotonis externe adhibito diarrhoeam ortam vidisse, ex iis denique, quae egomet ipse in nosocomio institui, satis liquet.

oleum Crotonis externe ad alvum promovendam adhibitum non satis certum esse et tutum remedium. Nec omittendum est, quod hoc medicamentum, ut supra demonstravimus, plerumque pustulas provocat, quae non solum in loco inuncto, sed etiam in partibus genitalibus erumpunt. Quis vero medicus remedium adhibeat, quod non solum morbum non satis certe sanat, sed etiam novis aegrotum doloribus cruciat, praesertim quum jam alia supersint remedia, quibus hac in re magis est fidendum, quaeque minora praebent incommoda!

Restat, ut antequam scribendi finem faciam lectoris indulgentiam huic meo tirocinio implorem; sufficiat mihi, peritiorum virorum studio hoc gravissimum remedium commendasse, quod in salutem hominum aegrotorum adhibitum iri, persuasum mihi habeo.

VITA.

Ego, *Henricus Bamberger*, natus Glogoviae in Silesia inferiore, die undevicesimo mensis Septembris anno MDCCCIX patre *Hirsch*, matre *Carolina*, veteris testamenti fidei addictus, ab anno aetatis tertio decimo gymnasium, quod in urbe patria floret, evangelicum frequentavi. Maturitatis testimonium adeptus Berolinum petii anno MDCCCXXIX et inter cives universitatis Fridericae-Guilelmae a beato *Hegel*, t. t. rectore magnifico, receptus, et coram Ill. *Wagner*, t. t. decano maxime spectabili, inter medicinae studiosos nomen dedi.

In hac alma litterarum sede hisce interfui scholis: Beat. *Rudolphi* de encyclopaedia

et methodologia medica, de anatomia c. h. sani et organorum sensuum, de anatomia foetus h., de entozois, de osteologia; Ill. *Schlemm* de syndesmologia; exercitationibus anatomicis practicis a beat. *Rudolphi* una cum Ill. *Schlemm* moderatis interfui; Ill. *Schulz* de arte botanica, de zoologia, ac de physiologia; Ill. *Link* de historia naturali et pharmacologia; Ill. *Mitscherlich* de chemia; Beat. *Hermbstaedt* de physica; Ill. *Ermann* de calore et luce; Ill. *Fr. Hufeland* de pathologia universali; Ill. *Horn* de pathologia speciali, de morbis mentis et syphiliticis; Ill. *Wagner* de pathologia et therapia speciali, de cholera asiatica; Cel. *Casper* de morbis infantum et de arte, formulas medicas concinnandi; Cel. *Hecker* de historia medicinae; Ill. *Osann* de materia medica, Cel. *Juengken* de chirurgia et akiurgia; Ill. *Busch* de arte obstetricia; Cel. *Wolff* de exanthematibus; Cel. *Phoebus* de anatomia pathologica; Cel. *Angelstein* de oculorum morbis; Cel. *d'Alton* de Anatomia.

Ad praxin medicam exercendam a viris Perill. *Hufeland*, Ill. *Osann*, Ill. *Busse*, Ill. *Bartels*, Cel. *Wolff*, Cel. *Truestedt*; ad praxin chirurgicam et ophthalmiatricam a viris Ill. *de Graefe*, Ill. *Rust*; ad praxin obstetriciam viro Ill. *Busch* in clinicis institutus sum.

Quibus omnibus viris Illustrissimis, Amplissimis, Experientissimis summas, quas habeo et debeo gratias ago.

Jam vero tentaminibus tam philosophico quam medico et examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur. —

THESES DEFENDENDAE.

1. Venaesectio nonnunquam optimum est remedium roborans.
2. Nullus morbus corpori prodest.
3. Nulla in corpore vivo chemica actio.
4. Tubercula non sunt congenita.
5. Nullum inter medicamina venenum.
6. Mentis morbi physicis, quas dicunt, causis oriuntur.
7. Operatio hydroceles per injectionem nonnunquam incisioni praeferenda est.